



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

De tertio Puncto, & tertio gradu amoris Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

se diuinæ Maiestati per eius præsentiam coniungit, lumenque accipit, quo, quid maximè eius diuinæ voluntati circa suas actiones gratum sit, clarè cognoscat.

## PUNCTVM TERTIVM.

**T**ertius amoris gradus est, voluntatem Dei executioni mandare in Dei præsentia, & cum hominibus sic conuersari, vt illa cum Deo familiaritas non intermittatur, & ita laborare, vt nullam internæ quietis iacturam incurrat; ita vt præsentia Dei addatur executio voluntatis Dei. Hoc ipsum inuenitur in Dei erga nos amore, vt benè S. Pater noster in tertio Puncto his verbis: *Tertium est, considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem & laborantem quodammodo, id est, habentem se ad modum laborantis, quatenus dat ipsis, conseruatque id quod sunt, habent, possunt atque agunt. quæ omnia, vt supra, in mei considerationem reflectenda erunt.* Vt intelligam

ligam quæ illa fit in me ipsum reflexio mihi necessaria; quò respondeam tertio isti amoris gradui,

NOTANDVM PRIMO, Quòd sicut Dei præsentia in creaturis non est otiosa, sed eas regit, mouet, gubernat, & cum illis operatur, & quodammodò laborat, semper & vbique illarum operationibus & motibus inuigilando; sic & in nobis Dei præsentia non debeat esse otiosa, sed laboriosa & operatiua, & quæ Dei voluntati perficiendæ nusquam se subducat. *Seruus enim qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Velut etiam iustam domini sui indignationem incurrit seruus liberaliter & lautè habitus, qui, quò domini sui præsentia non priuetur, operari aut laborare non vult: econtrariò, ad maiorem cum domino suo familiaritatem admitti meretur seruus ille, qui lubens se aliquando eius conspectu priuat, quò laboret, ei que seruiat. Alioqui enim continget charitatem

tem otiosam destitui notitiâ eius quod  
facere debet; eumque, qui, dum lu-  
cem habet, non ambulat, luce, dum  
ambulare volet, priuari, & tenebris in-  
uolui.

NOTANDVM SECVNDO, Quòd  
etiamsi Deus Dominus noster totius  
mundi omniumque creaturarum mo-  
tibus & operationibus, pro singularum  
& cuiusque conditione & necessitate,  
inuigilat, non tamen à parte rei eum  
illa cura & labor distrahat aut fatiget;  
quia semper in se & secum manet,  
semperque in suæ quietis centro pacatè  
quiescit: sic etiâ homo, qui hunc amo-  
ris gradum consecutus est, ita operari  
debet, ut à se non exeat, sed, in se sem-  
per manens, sibi inuigilet, & operibus  
suis ita se accommodet, ut ab iis se abri-  
pi non sinat; sit suarum actionum sui-  
ipsum dominus, ut verè in libertatem  
filiorum Dei transisse, dici possit. Hoc  
consequetur, si sibi & Deo benè vni-  
tus, occupationum suarum varietatem  
ad vnum solum finem reducat, vnum-  
que

que tantum in iis intendat & quærat, aliaque omnia tamquam accessoria & parui momenti reputet. Id autem, in quod collimare debet, est, summè diuinæ bonitati placere; eique, tamquam regulæ, & omnis quod in nobis boni est origini, se conformare.

## PUNCTVM QVARTVM.

**N**OTANDVM hîc PRIMO, Quod materia Meditationis in hoc quarto amoris gradu sint omnes perfectiones diuinæ; in quo magnus nobis Meditationum campus detegitur, magnaque incentiua amoris: item aperitur via perueniendi ad notitiam diuinarum perfectionum, per vestigia perfectionum quas in rebus creatis animaduertimus. & hoc est quod dicit, *Prospectare quo pacto munera & bona omnia celitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio.* Illas enim perfectiones eo modo creaturis communicat, ut iis non spoliatur; & ita eas distribuit,

S

VT